Quelle: http://manuscripta.at/?ID=32270
Copyright: Lilienfeld, Zisterzienserstift

et veniat in mentem tua. sicut omnibus quibus tibi placuerit. Domine deus
meus suscipe me: et ne derelinquas me neque despicias me domine deus
meus. Respicias me a facie tua. et ne deseras me in tempore
doloris mei. sed libera me de his tormentis. sicut liberasti danielem
de lacu leonum. et sicut liberasti ananiam. azariam misahelem de
camino ignis ardentis et custodisti. ita et me custodi.
et deduc me in portum voluntatis tue. sicut deduxisti fi-
lios israel fugientes ex egypto. Exaudi me domine. extingue
tyranni minas. qui contra me surrexit. et fac erubescere diabo-
lum contra me resistentem. quoniam tu domine scis naturam humanam
captivitatem non posse pati. Esto mihi deus presens auxiliator.
et adiuva me in tormentis. quia inductus est in me ille. qui vi
iudicium preceptum non fiat. Et cum finisset orationem: apparuit ei
demon in figura angeli. nomine belial. et dixit ad eam. Juliana.
multa et pessima tormenta paratur tibi prefectus. Modo audi me:
et salva eris. et cum te prefectus de carcere foras iusserit eici:
veni accede et sacrifica. et effugies tormenta. Putabat autem sancta
Juliana quia angelus esset et dixit ei. Quis es tu. Dixit ad eam dia-
bolus. Angelus sum domini. misit me ad te. ut sacrifices et non moria-
ris. Juliana autem ingemiscens amarissime exclamavit
ad dominum. et oculos suos elevans ad celum flevit dicens.
Domine deus celi et terre ne deseras me neque despicias me. neque per-
mittas perire ancillam tuam. sed confirma me in virtute tua
et in nomine tuo confitenti. demonstra mihi quis est iste. qui mihi ta-
lia persuadet. Et statim facta est vox de celo. Confide Juli-
ana. quia ego tecum sum qui glorifico te. Tene autem istum qui tecum loquitur.
ut scias quis ille sit. Exurgens autem iuliana de laboribus
suis in quibus erat constricta. tenuit belial demonem. et dixit ei.
Dic mihi quis es tu et unde. et quis te misit ad me. Tunc demon dixit
ei. Dimitte me et dicam tibi. Beata iuliana dixit. Dic mihi omnia
et sic te dimittam. Cepit demon loqui et dicere. Ego sum belial
demon. quem aliqui afri nigrum vocant. de malis malignus.
homicidiorum oblectator. gaudens tormentorum. amator lu-
xurie. Ego sum qui feci adam et evam prevaricari in paradi-
so. ego sum qui feci ut cain interficeret fratrem suum abel. ego
sum qui feci iob omnem substantiam suam perdere. ego sum qui feci populum
in deserto ydola adorare. ego sum qui feci ysaiam prophetam in
lignea serra secari. Ego sum qui feci tres pueros in cami-
num ignis mitti. ego sum qui feci nabuchodonosor regem
ymaginem facere. Ego sum qui feci ierusalem infamari. ego sum

qui feci ut herodes rex infantes interficeret. Ego sum qui feci ut
latus filii dei lancea perforaretur. ego sum qui feci stephanum la-
pidare. Ego sum qui per symonem locutus sum. quando magi certabant Pe-
tro et paulo. ego sum qui ad neronem ingressus sum. ut petrum
crucifigeret. et paulum decapitaret. Ego ista omnia et alia
deteriora feci cum filiis meis. Beata iuliana dixit. Et quis
te misit ad me. Demon respondit. Sathanas pater meus. Sancta iu-
liana dixit. Quod nomen est patris tui. Demon respondit. Beelzebub.
Sancta iuliana dixit. Quod est opus ipsius. Demon respondit. Advocat mali ad
ministrationem dirigit nos. Beata iuliana respondit. Et qui repulsi
fuerint a christianis. quid paciuntur. Demon respondit. Mala et pessima
tormenta patimur. si missi fuerimus contra iustum ut subvertamus eum.
et contempti fuerimus ab illo. Cum enim questi fuerimus a patre nostro.
et non fuerimus inventi. demandat aliis demonibus. ut ubi in-
venti fuerimus. ab eis male torqueremur. Deinde fugimus ubi non possumus
inveniri. Ergo nobis est facere. ut gratissime apud eum nostre pla-
ceamus. Sancta Iuliana dixit. Ad que opera missi proficiscimini.
Demon respondit. Audi domina mea ut omnia tibi dicam. et cognoscas
a me veritatem. Quoniam ego ad malum meum huc intravi. et
putabam te seducere ut sacrificares et negares deum tuum.
sic ingredimur ad omnes homines. tamen ego qui frater mei. et ubi inve-
nimus hominem imprudentem ad opus dei. facimus eum desideria mali
appetere: committentes animam eius ad ea que optinemus. facien-
tes errorem ei in cogitacionibus vanis. et non dimittimus illum
vel in oratione vacare. Si enim viderimus aliquos concurrere ad ec-
clesiam pro peccatis suis se affligentes. et scripturas divinas
cupientes audire: ut aliquam partem ex ipsis custodiant.
ingredimur ad ipsos. et non dimittimus eos aliquod boni agere.
et multas cogitaciones inmittimus in corda eorum. Cum autem
potuerit superare et discedere a cogitacionibus vanis et ira.
et orare. et scripturas divinas audire. et communicare di-
vinum mysterium. ille profugat nos. Cum enim christiani communi-
cant divinum mysterium. recedentes sumus nos ab hominibus illa
hora. nulli curam gerentes. non solum subvertere hominem
bene viventem: Si autem viderimus aliquem volentem se
bene temptare (?): amaras cogitaciones inferimus illi. ut
nostras cogitaciones agat. Sancta Juliana respondit. Immunde
spiritus. quomodo presumitis te christiano applicare. Demon
respondit. Et tu dic mihi. quomodo ausa es me tenere. nisi quia confi-
dens es in christo. sic et ego confido in patrem meum. quia malarum